

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

~~147.~~

165



ELEGIA

In obitum immaturum Docti, Strenui ac Nobilissimi Viri,

DN. SIGISMUNDI à LATTORF

In Klieken & Grochvvitz Hæreditarii,

Anno salutis 1618. die 2. Ianuarii horâ pomeridianâ secundâ, in Christo piè defuncti.

Sicce grassaris mors inter sanguine juctos,
Ut geminos fratres, nobilitate pares:
Nec non MARIAM trinâ cum prole sororem
E medio tuleris, proh dolor! ante diem?
Grande satis factum, sed erit crudelius illud,
Si numeres spacium temporis exiguum.
Nondum abiâre dies ter centum, ut grandior ævo
JOACHIM-ERNESTUS morte peremptus obit.
Filiolum moriens secum pater abstulit unâ
KUNO-GWILHELMU cui benè nomen erat.
MARGARIS antè patrem dulcissima filia patris
Liquerat, expirans, putre cadaver humo.
Hos extincta soror præcesserat ANNA MARIA
Cum gnatâ, nomen cui CATHARINA fuit,
Lethi nulla mora est, fato SIGMUNDUS eodem
Occidit, hei cui nunc debita justa damus.
Stirpe Latoriadûm sex hæc sunt corpora nata,
Ordine quæ secum mors inopina tulit.
Dic quid Fata volunt? nimis aspera fata juventæ?
Nobilis unde venit tanta ruina domus?
Scilicet à cœli Domino, terræque potenti;
Qui vitæ imperium juraque mortis habet.
Hic dator ut vitæ est, sic cui vult, eripit illam,
Non quando nobis, sed sibi quando placet.
Si quærvis causam, peccati culpa nefandi est,
Quæ tulit in mundum proh! genus omne mali.
Sæpè sibi caros etiam DEVS optimus, antè
Virga superveniat præripuisse solet.
Ne vitæ impietas mores pervertat honestos
Aut animam tentet fallere, ficta Fides.
Sed mortem vicit moriens pro crimine mundi
Salvator, vitam promeruitque novam.
Inde piis, meritum CHRISTI qui corde prehendunt,
Post tristes obitus vita salusque venit.
Hac quoque spe nixus, SIGMUNDUS nobilis ortu,
Occubuit, mortis, triste secutus iter.
A patre MATTHIA deduxit stemmatis ortum:
MARGARIS at mater TRESCHCOVIANA fuit.
Stemma Latoriadûm generis splendore coruscans,
Munia clara obiit, Martis & Artis ope:
Turmarum præfecti ex hâc venere sub auras,
Stirpe: sacerdotes justitiæque simul.
Fortibus hic ausis majorum incensus, adivit
Fervidus ingenio, juris & artis iter.

Conantem juvit multum sub flore juventæ
Cum patre SIGMUNDUS patruus, ære suo.
Urbs Sorabum puero lingua præcepta latinæ,
Artem æqui atque boni Leucoris alma dedit.
Marpurgum excoluit juvenem, fecitque disertum
Heidelberga bonum continuavit opus.
Artibus excultus variis, post extera vidit
Regna, Deos, mores, cum populisque scholas,
Gallia quas celebrat, quas prædicat Ausonis ora:
Quas Sala, quas Albis; quasque Thubinga colit.
Tres artes didicit, tres linguas calluit idem,
Posset ut alternis reddere verba modis.
Inde domum rediens, post ultima fata parentis,
Hæres, ut in patriâ sede locatus erat.
Mox Elysabetam thalami sibi fœdere junxit,
Cui Brant de Lindavv stirpis origo fuit.
Hæc bis fœmineâ, simul & bis prole virili
Fœta suo peperit pignora grata viro:
Ex quibus una citâ periit nece filia: vivit
Altera, grata DEO Margaris omen habens:
Nec non vitali, fratres duo, luce fruuntur,
Quos salvos servet provida cura DEI.
Ast pater in mundo hoc postquam compleverat annos
Vitæ bis trinos, ter deciesque suæ,
Hei rabido tactus, qui nunc premit oppida, morbo
Occidit, & superi scandit ad astra poli.
Jamque DEI in claro conspectu gaudia carpit,
Et luce imbuitur nunc propiore DEI.
Namque DEI verbum coluit, ritusque sacratos,
Principium sumit, crescit & unde fides.
In verbis verax, prudens in rebus agendis:
Colloquio facilis, moribus atque gravis:
Ut pius in vitâ, juris defensor & æqui:
Sic quoque pauperibus dextra benigna fuit.
Obsequio & precibus morbi tormenta maligni.
Vicit, & obtinuit cœlitus æger opem.
Nunc illi mors est requies, & meta laborum,
In Christo vitæ principiumque novæ.
Disce mori mortalis homo, benè vivere disce,
Delicias mundi dispice, disce mori.

Nicolaus VVenerus Ecclesiastes Kicensis.

WITTEBERGÆ

Typis Iohannis Gormanni exscripta, anno 1618.

ДІДЕЯ
ІАНІКАНДІА
ДІДЕЯ

147.

165





Nr 1996.

8



nicht aufz., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!
28 a / 50 1996 /

VS 17

1996

